

1551 centos Bononiæ coegerat. Octavius, urbe prævalide munita, ad hostium impetus excipiendos se comparabat; extra urbem munitiones tres, ad Lenziam amnem unam, in quam selectos mille equites immiserat, alteram ad Cherugoli montis oppidum, tertiam ad Apennini radices erigendam curaverat. Verum adhuc inter arma concordiae negotium non prætermittitur, cum Sanctæ Floræ Cardinalis, Hercules Ferrariæ Dux, ac Forocornelii Episcopus Regii convenissent, eoque deventum esset, ut Octavius Parmam Camertibus commutare assentiretur, eaque de re diplomata cunctorum Cardinalium adstipulatione firmata posceret, quæ statim ex illius sententia confecta, atque subsignata fuere, Neopoleos administratione, atque aureorum octo millium pensione, quoad viveret, alio Julii diplomate adjecta; & ut quam celerrime ad Octavium perferrentur Pontifex curaverat; Mediceoque Cardinali, statim Ecclesiæ nomine Parmam reciperet, mandaverat. Quæ cum Didacus Mendozzius, Cæsaris apud Julium legatus, vir acri & callido ingenio, cognovisset, ni astu aliquo uteretur, negotium confectum ratus, dum diplomata conscriberentur, Ferdinando Gonzagæ literas dedit, quibus, ut statim copias Parmam duceret injunxit. Avide admodum, ac summa celeritate Gonzaga occasione arrepta, tertio idus junii Taro amne ad Nocerolum trajecto, usque ad urbem se proripuit, cum postridie Roma diplomata supervenissent, ut paucis fere horis bellum pacem anteverterit. Petrus Strozzius, atque Horatius Farnesius, qui Mirandulæ substiterant, belli initium a Ferdinando factum cum audissent, quatuor selectorum militum millibus, equitumque manu educta, Crevacorum Bononiensis agri oppidum capiunt, ac diripiunt. His auditis, Julius in Castriditionem, quam Horatius obtinebat, arma inferre statuit, ne beneficiarium, qui Ecclesiæ oppida hostiliter invasisset, inultum relinqueret. Itaque ad divi Petri valvas edicto affixo, in judicium Romam vocato, literas ad Farnesiorum matrem, quæ Horatii filii nomine Castriditiones regebat, dedit, quibus, ut Castrum una cum Roncilione Rodulpho Balionio traderet, petebat; ea, ni sponte concederet, cum expedito copiarum numero vi adoriri jussit. Sed cum propius accessisset, oppidum deditione obtinuit; nolle enim filios cum Pontifice

*Regienſis  
conventus  
de pace.*

*Ferdinādus  
Gonzaga in  
Parmensem  
agrum cum  
exercitu  
transit.*

*Petrus  
Strozzius  
& Horatius  
Farnesius  
Crevacorum  
capiunt.*

cer-